



**R. Patris, Francisci Svarez, E Societate Iesv,
Metaphysicarvm Disputationvm, In Qvibvs Et Vniversa
Natvralis Theologia Ordinate Traditvr, Et Qvæstiones Ad
omnes duodecim Aristotelis Libros ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ ; [Coloniæ Agrippinæ], 1630

2 Vtrum materialis causa substantiarum generabilium, sit vna multiplex.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94135](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94135)

ter mutari. Quod ipsum à fortiori verum est in spiritalibus substantiis creatis. In his ergo omnibus solum concluditur, dari vnum commune subiectum accidentium, inter quæ sit mutatio. In his autem inferioribus substantiis & corporibus, quoniam mutatio transmutabilia sunt, recte concluditur aliquid commune & primum subiectum. Vt autem concludatur hoc subiectum esse materialem causam ipsiusmet substantiæ talium rerum, necesse est addere illam mutuam transmutationem earum inter se esse secundum substantiam, & non tantum secundum accidentia, quia si in solis accidentibus transmutarentur, satis esset in eis dari primum subiectum talium accidentium, siue illud esset substantia simplex, siue composita, & siue esset vnius rationis in omnibus, siue diuersæ.

XII.

Non acciden-
tali modo,
sed substan-
tiali etiam
in rebus
transmuta-
tio.

Ad concludendum ergo dari materiam primam, qualem Aristoteles posuit, restabat probandum, transmutationem horum corporum inferiorum, quam experimur, non solum esse accidentalem, sed etiam substantialem. Hoc autem præter experientiam, quæ per se videtur satis euidens, non solum in elementis, & in mixtis inanimatis, sed multo magis in viuentibus, animalibus, & in nobis ipsis cum generamur, & morimur: præter hanc (inquam) experientiam, ratione probandum est ex necessitate formarum substantialium ab accidentibus distinctarum: nam si dantur hæc formæ, necesse est dari materiam primam, quæ sit subiectum earum, & cum eis componat vnam substantiam integram, quod est esse causam materialem substantiæ. Dari autem formas substantiales, probandum est infra disputat. 15. & ideo nunc supponatur: & tantum ex ea hypothesi demonstratum habeatur dari veram ac propriam materiam primam in his rebus, quæ generantur & corrumpuntur: est enim conclusio euidens, & omni carens difficultate: antecedens vero dicto loco probandum est.

S E C T I O II.

Verum materialis causa substantiarum generabilium, & corruptibilium sit vna vel multiplex.

I.



In hac sectione & sequenti breuiter attingendæ sunt opiniones veterum Philosophorum, quas Aristoteles variis in locis late pertractauit, atque impugnauit, præsertim in Metaphysicæ, capi. 3. & sequentibus, & 1. Physicæ à capite 2. & 1. de Generatione c. 1. & sequentibus & 3. de celo, ca. 7. & apud Diogenem Laertium in vitis horum Philosophorum, eadem leguntur: & apud Platonem in Theeteto & Sophista, & Plotinum libro 9. Æneid. 2. & Theophrastum in sua Metaphysicæ. 3. & Plutarch. libro 1. de placitis, c. 3. & ex Patribus attigit Augustinus libro 8. de Ciuit. à principio, & Epiphani. libro 3. contra hæres. in 80. & Irenæus lib. 2. cont. hæres. c. 19. & Clem. Rom. libr. Recognitionum, & Clemens Alexandr. libr. 1. Stromat. Et Eusebius 14. de præparat. Euangel. à principio, & Ambrosius libro 1. Exam. c. secundo. Horum itaque Philosophorum sententias ad duo capita reuocamus: vnum eorum, qui posuerunt plura materialia prima principia, de quibus hic agemus: aliud eorum, qui vnum tantum posuerunt, sed in eo assignando errarunt, de quibus dicemus sectione sequente.

Sententia infinita principia materialia constitutum.

II.

PRIMA igitur sententia fuit, materialem causam rerum omnium constari ex corpusculis indiui-

sibilibus seu atomis, quæ posuerunt esse in infinita. Leucippus, Democritus, Epicurus, Metrodorus, & Anaxagoras. Qui fere omnes censuerunt hæc corpuscula esse similia inter se, & eiusdem rationis, solum pro varietate situs, figure, & ordinis varia entia componere: & rerum corruptionem nihil aliud esse quàm dissipationem seu inordinationem atomorum: generationem vero esse nouam compositionem earum. Anaxagoras vero posuit atomos partim similes, partim dissimiles, vt ex similibus res homogeneæ fierent, ex dissimilibus vero res dissimiles, vt in corpore organico partes heterogeneæ, v. g. caro ex atomis carnis, os vero ex ossibus, & sic de aliis. Rursus videntur quidam eorum posuisse has atomos omnino indiuisibiles: & ideo vt possent corpus componere, aiebant non solum ex ipsis, sed etiam ex aliquo vacuo, seu inani corpore coalescere: nam si illæ omnes immediate & solide coniungerentur, nunquam moles accresceret, vt sumitur ex Aristot. 1. Metaph. 4. Alij vere non videntur illas posuisse Mathematicè indiuisibiles, seu Physicè tantum, iuxta quam interpretationem non est necessarium interponere aliquod inane inter ipsas atomos, vt ex eis corporis magnitudo excreceret. Rursus ex his Philosophis quidam nullam efficientem causam rerum præter has atomos posuisse, neque etiam finalem, sed ex earum vario concursu, & perpetua agitatione res quasdam dissolui, & alias casu consurgere: & ideo, vt Aristot. refert, Epicurus dixit habere hæc corpuscula naturale pondus, quo semper ferrentur. Alij vero, vt Anaxagoras, posuerunt efficientem causam intellectu & voluntate operantem, & ex his corpusculis varia componentem.

Sed hæc pars spectat ad disputationes de causis efficiente, & finali. Nunc, quod ad rem præsentem spectat, hi Philosophi imprimis non cognouerunt veram materialem causam, quæ sit potentia Physicè receptiua alicuius actus: nam illæ atomi non sunt in potentia ad recipiendam aliquam formam Physicam, nec possunt dici materia totius compositi, nisi eo modo, quo partes integrales dicuntur materia totius, & lapides ac ligna materia domus. Vnde vltimius sit, vt iuxta illam philosophandi modum forme naturalium entium, quasi artificia es tantum sint, nimirum figuræ quædam consurgentes ex vario situ, & ordine atomorum. Atque ita nulla erit vera substantialis generatio, & corruptio, sed tantum varia coordinatio, aut deordinatio atomorum: Et quamquam Anaxagoras ponat atomos diuersarum rationum, tamen necesse est, vt omnes ponat confusas, & permixtas in singulis rebus, vt per educationem earum possit ex vna re, alia generari. Atque ita res omnes solum in hoc differunt, quod quædam habent quædam atomos magis patentes seu in exterioribus partibus: alias vero magis latentes, & in partibus secretioribus: quæ tota diuersitas solum est in situ, & coordinatione atomorum. Adde intelligi non posse, quomodo tam varia corpuscula habentia repugnantes conditiones, in singulis rebus intime coniungantur. Nec minus est inexplicabile, quomodo ex qualibet re hæc corpuscula latentia in lucem proferantur, vt res aliæ gigni, vel potius componi videantur.

Illud etiam est absurdum in his omnibus Philosophis, quod infinitam multitudinem ponant horum corpusculorum: nam vel intelligunt in singulis entibus naturalibus esse infinitam multitudinem harum atomorum, vel solum in toto vniuerso: in singulis vero corporibus, aut partibus eius esse finitam multitudinem. Priori sensu est sententia prorsus absurda: non enim possent infinitæ atomi componere aliquod corpus, quin illud excreceret in infinitam magnitudinem: nam si atomi non fingantur indiuisibiles Mathematicè, sed Physicè, habebunt singulæ aliquam magnitudinem, in qua vel omnes erunt æquales, quia nulla est inæqualitatis ratio, vel

falem

saltem assignari poterit minima atomus, cui alię sint vel æquales, vel maiores: ergo ex huiusmodi atomis infinitis necessario componetur magnitudo actu infinita. Si vero atomi sint indiuisibiles Mathematicę, non possunt magnitudinem componere, nisi interponatur spatium inane, quod spatium erit diuisibile, & alicuius magnitudinis, ex quo similiter concluditur infinitas atomos sic inter se distantes necessario efficere infinitum corpus, occupans seu includens infinitum spatium, partim inane, partim repletum atomis. Nec potest asserri instantia de infinitis punctis existentibus in linea, nam ibi nulla sunt puncta immediata, quia tota linea est continua: in atomis autem necesse esset, signata qualibet atomo esse aliquam proximę distantem ab illa, per certam aliquam & definitam distantiam, & sic de reliquis: necessarium ergo esset, vt infinita illa corpuscula, infinitum spatium illo modo occuparent.

Posteriori autem sensu est etiam illa sententia improbabilis: & in primis contra illum procedunt omnia, quę aduersus infinitam mundi magnitudinem scripsit Arist. 3. Physic. & 1. de Cælo. Deinde euident est totam sphaeram rerum generabilem & corruptibilem esse finitam, cum ad sphaeram lunę terminetur: attribuire autem etiam cælis compositionem ex atomis, illosque extendere in infinitum, non potest esse Philosophicum, quia neq; experientia, neque ratio nos ducit ad ita existimandū. Tandem, si quodlibet corpus finitę magnitudinis constat tantum finitis atomis, non potest sufficere hæc atomorum fictio ad generationes & corruptiones rerum: tū quia ex eadem re possunt res varię ferē in infinitum generari: tum etiam, quia oporteret semper corporis magnitudinem multum diminui in qualibet generatione & corruptione per dissipationē atomorum, cum tamen constet experientia non semper id accidere. Nisi forte dicatur semper fieri veluti quandam circuitionem atomorum, dum interiores ad externas partes educuntur, exteriores vero ad intimas partes impelluntur: ideoque non minui rei magnitudinem. Sed hoc nihil potest esse absurdus: inde enim fit, re ipsa nihil mutari nisi secundum locum aut apparentiam. Estq; illa inductio, &eductio atomorum contra experientiam: quando enim ex stupra generatur ignis, non tantum in exterioribus partibus, sed intimē & in tota magnitudine fit generatio: & cum homo moritur, in omnibus partibus tam internis, quam externis fit corruptio. Est ergo hæc sententia prorsus absurda, neque habet fundamentum, cui satisfacere necesse sit. Illud enim principium, in quo tam citati Philosophi, quam alij fundati sunt: *Ex nihilo nihil fit, quem verum sensum habeat, inferius declarabimus.*

Opinio ponentium plura principia materialia finita.

VI. SECUNDA sententia ponit etiam plura principia, seu plures primas causas materiales rerum generabilem, in numero tamen finito. Ita sensit Empedocles, qui quatuor elementa, ignem, aerem, aquam, & terram, dixit esse quatuor primas causas materiales; ex quibus mixta generantur, ipsa vero non habere priorem causam, aut principium materiale. Veruntamen hæc sententia falsa est, & euidenter refutari potest: nam in primis quamuis attigerit compositionem seu generationem mixti ex elementis, non tamen considerauit transmutationem elementorum inter sese, cum tamen constet, & aerem conuerri in ignem, & aquam in terram, & e conuerso. Huiusmodi autem transmutationis non possunt elementa esse principia materialia, sed aliquod subiectum commune omnibus illis. Quod si forte existimauit Empedocles elementa non transmutari substantialiter, ideoq; non constare materia, & substantiali forma, sed

Franc. Suar. Metaph. Tom. I.

esse quædam entia omnino simplicia, accidentibus subiecta: contra hoc in primis ostendimus inferius, non minus esse certum dari formas substantiales elementorum, quam aliorum entium naturalium, & consequenter verē ac substantialiter inter se transmutari. Deinde licet id admitteremus, nullum esset fundamentum ad multiplicandas materias, seu prima subiecta substantialia, sed dicendum potius esset in omnibus elementis esse idem substantiale subiectum, quod diuersis accidentibus effectum, distinctum appellatur elementum. Cumq; illud etiam subiectum sit principium materiale mistorum, fit, vt re ipsa, & substantialiter tantum sit vna prima causa materialis omnium rerum.

Quod si fortasse diceret Empedocles illam naturalium accidentium diuersitatem, quę in elementis conspicitur, indicare satis essentialē distinctionem substantialium subiectorum: ex hoc ipso sumitur efficax argumentum ad hominem, quando aer ita ab igne transmutatur, vt proprijs accidentibus ignis maneant affectus, nō solum fieri mutationem in accidentibus, sed etiam in ipsa substantia: non potest autem fieri in tota entitate substantiali propter rationes factas in superiori sectione de annihilatione, & creatione: ergo necesse est fateri, etiam in ipsis elementis esse aliquod subiectum prius ipsis: & commune illis, ratione cuius possint mutuo transmutari: ergo non sunt illa causę primę materiales, sed datur alia prior, quibus illa constant. Atque hinc etiam concluditur, non esse hæc elementa primas causas materiales mistorum, quia in ipsismet datur materia prior ipsis, & hæc est etiam causa materialis mistorum, quę in illis manet, & eorum formas informat: illa est ergo causa prima in illo ordine etiam mistorum, eod vel maxime, quod iuxta veram sententiam elementa non manent formaliter in misto, id est, secundum proprias formas substantiales, quia non potest forma substantialis misti cadere (vt sic dicam) supra formam elementi, seu informare materiam vt iam informatam forma elementi: ergo elementa secundum proprias substantias nō sunt causa materialis permanentis, & propria mistorum, sed eadem materia, quę est prima causa materialis ipsorum elementorum, est etiam mistorum.

Quæstionis resolutio.

Dicendum ergo est primam materiam, seu materialem causam omnium rerum sublunarium esse tantum vnam. Quę est communis sententia omnium Philosophorum, quos in sequentibus referemus. Et sufficienter probatur ratione nunc facta contra Empedoclem, & posteriori discursu facto sectione præcedente. Vbi ex communi & mutua transmutatione rerum sublunarium, ostendimus dari communem materiam: illa enim ratio quę probat primum subiectum, quod sub his omnibus transmutationibus manet, esse vnum tantum. Tum quia contraria principia, ex quibus sunt generationes & corruptiones, versari debent circa idem. Tum etiam, quia illud subiectum est ex se indifferens ad quasunque formas rerum corruptibilem, & dispositiones earum: non ergo requirit in se distinctionem seu multiplicationem, imò non est vnde illam habeat. Et e conuerso omnis forma rei generabilis cuiuscunque speciei, potest introduci in quamcunque parrem huius materię, si commodè disponatur: ergo signum est materiam hanc secundum se esse vnam, & eiusdem rationis, & sufficientem in suo genere ad causandos omnes effectus, qui in his rebus possunt materialiter causari, si alię causę in alijs generibus necessariae applicantur seu concurrant.

Solum potest obijci, quia causa materialis est intrinseca & essentialis: hæc autē res generabiles & corruptibiles sunt essentialiter diuersę: ergo non potest

VII.

VIII.

IX. Obiectioni
[aiusit.]
vna

Disput. 13.
sect. 2.

vna & eadem materia esse in omnibus illis. Sed hæc obiectio tangit quæstionem illam, an materia sit pars quidditatis substantiarum materialium, quam inferius commodiori loco tractabimus, nunc breuiter respondetur essentias harum rerum materialium esse diuersas ac dissimiles quoad formas: similes vero quoad primam materiam. Neque hoc quicquam obstat essentiali diuersitati: hæc enim non excludit conuenientiam & similitudinem in aliqua parte.

SECTIO III.

Verum prima & vnica causa materialis generabilium substantiarum, sit aliquod corpus simplex, vel substantia integra.

I.



Ntiqui Philosophi (vt Aristoteles & alij auctores præcedente sectione citati referunt) qui vnum tantum materiale principium naturalium rerum posuerunt, fere omnes putarunt esse aliquam substantiam integram, seu corpus simplex, quale Auerroes existimat esse celeste corpus. De illo autem corpore seu materiali causa, fuit inter eos multiplex opinio.

Opiniones Philosophorum de vno materiali principio.

II.

Prima asseruit hoc principium esse aquam, cuius auctor fuit Thales Milesius: alij vero, vt Plutarchus, putant antiquiorem esse, & ab Orpheo duxisse originem. Secunda opinio hoc munus tribuit aeri, quam docuere Anaximenes, & Diogenes Apolloniades, vt Aristoteles refert 1. Physicæ cap. 3. & ibidem Simplicius declarat. Tertia opinio fuit, ignem esse huiusmodi causam, quam docuere Hippasus, & Heraclitus: & eandem secuti sunt Stoici, vt est apud Ciceronem 2. de Natura Deorum. Quarta sententia potuit ad hoc officium terram eligere, eò, quod omnibus subit, & sit veluti communis omnium mater. Aristoteles tamen 1. Metaphysicæ capite 7. ait, hanc fuisse vulgi opinionem: nullum autem Philosophorum in eam inclinasse, eò, quod terra propter nimiam densitatem & siccitatem ad recipiendas aliarum rerum formas, vel figuras inepta esse videatur. Hesiodus tamen in sua Theogonia absolute vocat terram omnium rerum materialem principium: idemque sensisse Pherecidem refert Theodoretus in libro de Materia & mundo. Quinta opinio nulli ex quatuor elementis hoc munus tribuit, sed cuidam corpori insensibili medio, vel inter aquam & aerem, vt Aristoteles refert primo Metaphysicæ capite 7. vel inter aerem, & ignem, vt Anaximander, qui addidit hoc medium corpus esse infinitum, ne vnquam generatio deficeret: contra quam infinitatem alibi disputat Aristoteles. Videtur autem inde colligi, Philosophum hunc non posuisse hoc corpus incorruptibile, alioqui non esset cur timeret successionem generationum posse consumi, si finitum esset, quamquam vix possit intelligi quomodo fecerit illud corruptibile, si existimauit illud esse simplex, & commune subiectum generationis.

III.

*Iudicium
fertur de
prædictis
sententijs.*

Proximum esset ac superfluum propria motiua horum omnium Philosophorum referre, eò, quod & incerta sint, & nullam præ se ferant probabilitatem, aut verisimilitudinem, vt ex dicendis obiter constabit. Illud vero commune omnibus fuisse videtur, quod nihil de nouo simpliciter fieri putarunt, quoniam ex nihilo nihil fieri potest, ideoque nec substantiales formas agnouisse videntur, nec generationem, corruptionemve substantialem. Imò multi eorum indicant nullas esse accidentales formas, quæ

vera entia sint, quia non intelligebant aliquam veram rem posse de nouo fieri, sed omnem mutationem quam experimur, putabant consistere in varijs modis se habendi illius rei quam putabant esse communem materiam. Ex quo aliqui eò vltius progressi sunt, vt non dicerent causam materialem omnium entium esse vnam, sed omnia entia esse vnum, non numero, sed substantia & essentia, qui licet rem falsam & improbabilem dicerent, consequenter tamen loquebantur, si de solis corporibus generabilibus agebant. Nam, si hæc non transmutantur substantialiter, nec differunt per substantiales formas, sed per accidentia, aut diuersos modos se habendi, re vera nulla datur materialis causa substantiæ, sed datur tantum substantia simplex, quæ non est alia, & alia essentialiter, sed vna aliter, & aliter se habens sub diuersis accidentibus.

Atque hæc fuit opinio Xenophanis, Parmenidis, & Melissi, qui hoc sensu dixerunt omnia esse vnum ens, & quiddam est præter illud, esse non ens: nam accidentia vel modos illius entis inter entia non numerabant. Et consequenter omnem generationem, aut mutationem simpliciter è medio tollebant, eò quod illud ens facerent ingenerabile, & incorruptibile & mutationes accidentales, quia non dant esse simpliciter, non censabant dignas absolute appellatione mutationum. Sunt qui horum Philosophorum sententiam alijs modis interpretentur, scilicet, quod per vnum ens intellexerint vnum vniuersum, quod omnia complectitur, vt innuit Aristoteles 1. de Gener. capite 8. & Simplicius 1. Physicæ capite secundo, vel per vnum ens intellexerint Deum, qui solus verè est. Refert enim Aristoteles 1. Metaphysicæ capite quinto, & Cicero libro 2. Academic. quæstionum, Xenophanem illud vnum ens, Deum appellasse. Atque ita multi & graues auctores hos Philosophos per ænigmata locutos fuisse, & figuratis locutionibus veritatem occultasse existimant: Aristotelem vero impugnasse eorum sententias quatenus in ipsa verborum specie & superficie proferri videbantur. De qua re legi possunt D. Thom. 3. Metaphysicæ textu 15. Philopon. & Simplicius 1. Physicæ capite 1. Eugubinus libro 3. de peren. Philosoph. à capite 7. Mirandus libro sexto, de examin. vanit. capite primo, & Bessario, libris contra Calumnias Platonis. Nostra parum refert quid isti Philosophi senserint, aut quæ mysteria suis verbis occultauerint. Non est tamen dubium, quin si formas substantiales ignorauerint, vt ignorasse videntur, cum de eis nullam mentionem fecerint, facile, satisque consequenter potuerint in eam sententiam incidere, prout à nobis explicata est. Vnde sola substantiarum formarum probatione, & confirmatione, tam hæc sententia, quam cæteræ refutantur.

Poteit tamen hoc loco referri alia opinio, quam multi ex modernis Philosophis secuti sunt, ponentes in materia prima formam corporeitatis illi coquam, & ab illa inseparabilem. Nam licet respectu talis formæ materialis, causa eius sit simplex, id est, absque essentiali & Physica compositione, tamen illud commune subiectum, quod sub omni transmutatione manet, & est vniuersalis causa materialis omnis generationis, & omnis formæ substantialis, quæ per educationem fit, & omnis compositi quod generatur, illud (inquam) subiectum iuxta prædictam opinionem non est simplex, sed essentialiter compositum, & corpus aliquod non mixtum, neque etiam aliquod ex elementis, neque medium inter illa per eorum participationem, sed absolute corpus per participationem omnium inferiorum formarum. Quam opinionem tenuit Auicenna libro 1. Sufficient. cap. 2. Cuius fundamentum est, quia subiectum generationis debet esse corporeum & extensum, & consequenter quantum: non potest autem esse huiusmodi, nisi aliquam formam substantialem habeat. Et hæc